



... tractat de ...
... medicina ...

... de ...

9000



Rep. XXXV. 4. no. 103.

A. D. O. M.

DE

PODAGRA,

ET QVÆ HVIC AFFINIS
EST CHEIRAGRA,

PRAESIDE

ERNESTO HETTENBA

CHIO, PHILOSOPHIAE ET ME-
DICINÆ DOCTORE AC
PROFESSORE.

Publicè Disputabunt,

Testimonium profectus sui, in doctrina &
usu artis Medicæ accepturi,

In Celeberrima VVitebergensi Academia,

IONAS PESSERL, Iglaviensis Moravus.
M. PAULUS REINHOLDUS, Cygneus.
CONRADUS SCHATTENBERGIUS,
Flenspurgensis Holsatus.

Die 23. Augusti, horis ante meridianis &
Pomeridianis.



VVITEBERGÆ,

Excudebat Iohannes Schmidt, Anno 1605.

ca. D. O. 100
DE

P. O. D. A. G. R. A.
EST CHIRURGUS

ERNESTO CHIRURGO
C. M. I. O. P. R. I. N. C. I. P. I. O. S. G. R. A. V. I. S. S. I. M. I. S.
D. I. C. I. N. A. D. O. C. T. O. R. E. S. A. C. T. I. V. I. S.
P. R. I. N. C. I. P. I. O. S. G. R. A. V. I. S. S. I. M. I. S.
T. E. S. T. I. M. O. N. I. U. M. P. R. O. C. T. O. R. I. S. I. N. D. O. C. T. R. I. N. A. S.
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E. M. E. D. I. C. I. N. A. E. A. C. C. E. P. T. I. S.

I. N. C. O. M. M. U. N. I. T. A. T. I. O. N. E. S. T. A. T. I. S. T. I. C. I. S.
I. N. T. E. R. I. O. R. U. M. S. T. A. T. I. S. T. I. C. I. S. S. E. R. V. A. T. I. O. N. E.
I. N. T. E. R. I. O. R. U. M. S. T. A. T. I. S. T. I. C. I. S. S. E. R. V. A. T. I. O. N. E.
I. N. T. E. R. I. O. R. U. M. S. T. A. T. I. S. T. I. C. I. S. S. E. R. V. A. T. I. O. N. E.
I. N. T. E. R. I. O. R. U. M. S. T. A. T. I. S. T. I. C. I. S. S. E. R. V. A. T. I. O. N. E.



VITAE
S. M. C. H. I. R. U. R. G. I. C. I. S. T. A. T. I. S. T. I. C. I. S.



DE CAUSIS ET SIGNIS
PODAGRÆ.

IONAS PESSERL.

THESIS I.



Vod de dolore Plutar-

chus scribit, eum inter affectus, qui a-
nimum variè percillant, esse longè omnium
gravissimum; id de articulari imprimis, quem
à parte, quæ patitur, æque dixerunt, pro
concesso confessoque omnibus, ceu minimè controversum
habetur.

II.

Non enim molesta solum diuturnitate, vitæ acerbita-
tem & tadium agrotantibus adfert; sed ferali quoque sua
immanitate sic crudeliter excruciat, ut ad insaniam multos
adegisse legatur; non etiam nullos eò desperationis compu-
lisse, ut nisi in morte sui doloris alia solatia & fomenta resi-
dua non crederent, & manus sibi ipsi violentas inferrent.

III.

Torquet autem is affectus modò cunctos corporis,
vel plures saltem articulos; quæ arthritidis generis appellatio-
ne auditur, modò artuum vel partis determinatæ singulos;
unde Podagra, genugra, Chiragra, schiatica, & aliæ Arthri-
tidis species proprio partis nomine notatæ sunt.

A 2

De

IV.

De quibus una Podagra seculis omnibus notissima, & Hippocratis testimonio, aliarū longè omnium vehementissima est, & maximè diuturna; cuius nunc visum est indolem penitus contemplari.

V.

Podagram ergo Cicero pedum dolorem, modò ex pedibus laborem eodem græci nominis sensu dixit: Aurelianus ab impedimento seu pedum retentione sic vult Græcis dictam, ceu sit τῶν πόδων ἄγχα. Plinius ideò eam negat latinum nomen invenisse, quòd Italiae antiquitus non fuerit, suo quoque tempore morbus peregrinus. Hodie is minime hospes, sed civis non Italiae modò & Germaniae, verùm universi propè orbis factus, nomen ubique invenit.

VI.

Italorum enim Lagotta, guttam sonat, quam Germani Tropff dicunt; etsi Paralyti vox hæc consortij lege quadam tribui soleat: naturam morbi propius attingunt Gleichsucht: Gicht/ Reissen/ vel quod iunctim vocant Reissende gicht: quæ nomina de omni Arthritide intelliguntur, perinde ut Podagræ nomen ipsum, quando Arthritici fere omnes prius podagræ fiant Galeno teste. 6. aphor. 28. com. m.

VII.

Sic autem eam definimus, parrium nimirum nervosarum, quæ sunt ad pedum articulos, tristem sensationem, ab unitatis solutione, quam humorum in articulis consistentium distendens ac premens copia efficit, profectam, quæ per intervalla repetit, cum virium affectæ partis læsione.

VIII.

Forma hinc patet, & cui inhæret ipsa, subiectum, quæ partes sunt circa pedum articulos nervosæ.

Articu-

IX

Articulum ossium compagem dicimus à natura sic fabricè ad voluntarium motum factam.

X.

Constat is ex ossibus articulatione inter se commissis, medio τῆς διαρθρώσεως spacio, cartilagine, ligamentis ossa cōnectentibus, membranis investientibus, & præter musculos & vasa, tendinibus & nervis; quas partes omnes cutis tandem ceu commune corporis tegumentum obductas forinsecus investit.

XI.

Eas igitur articuli partes, etsi Hippocrates nervosi generis appellatione intelligere videatur: sensus tamen æquè omnibus non inest, & consecutionis ratione, neque dolor.

XII.

Non enim dolent ligamenta, ut neque ossa, & quibus hæc ferruminantur cartilagine: unde membranis & præcipuè verò tendinibus & nervis, quia τῶν αἰσθητικῶν νεύρων & motionis ac sensationis organa sunt, nervosarum partium appellatio recte tribuitur.

XIII.

Sed in Podagra, nervos & tendines vero non est contentaneum repletionem laborare, quòd tum non articulare morbum æger, sed convulsionem pateretur. 6. aphor. 49. comm.

XIV.

Ergo ligamenta replcantur oportet, à quorum tensione tractæ compressæque vicinæ partes nervosæ dolent.

XV.

Hinc doloris eas; ligamenta verò & medium articulationis spacium, tum quod inter ossa & horum membranas

A 3

inter-

intercipitur, materiae tendentis subiectum cum ratione statuimus.

XVI.

Et huius quidem materiae in ligamentis respectu, affectus hic ad morbos in aucta magnitudine referri non incommodè potest; quemadmodum in spaciis articularum mediis coerciti illius, & ligamenta tendentis ratione, morbus in cavitate appellari.

XVII.

Ipse autem articularum dolor in nervosis eorundem partibus laceffens, Symptoma est de genere actionis laesae, nimirum tangendi sensus depravatus:

XVIII.

Causa Podagrae interna Arthritidi & speciebus eius communis statuitur, humoris nimirum decubitus & defluxio stillatim facta; unde Guttur nomen Barbaris extitit.

XIX.

Is enim & distendente ac cōprimente copia sua, & qualitate acri mordenteque unitatis solutionem committit, quae Podagrici doloris causa est immediata, quam continentem dixerunt.

XX.

Humor autem modò sincerus est, modò etiam alijs permixtus; in primis enim à pituita, rarò à bile, saepe ab irruente in articulos sanguine, & hoc vel bilioso vel pituitoso Podagram generari asserimus.

XXI.

Galenus crudum propriè appellatum succum vult in omni articularum dolore prædominari, quod non de pituita modò, sed de quovis alio crudo humore accipi debet IO. m.

l. cap. 2.

XXII.

Flatum ergo nisi crudi humoris respectu, quod dolores quidem

quidem sed minimè articulares & contumaces efficiat, in
censu materialis causæ non admittimus.

X X I I I.

Et intemperiem quoque siccam, à causæ conditione ex-
cludimus: ut sententiæ nostræ refragari nihil quicquam ar-
bitremur Hippocratis autoritatem *lib. de aff. inter, Et 3. apher.*
16.

X X I V.

Humores autem in Podagra par fuerit ad articulorum ca-
vitates seu spacia articulationum media, & ligamenta, tum
subter ossium membranas impetuosa fluxione moveri, quã-
do, qui sensim in partium suscipientium substantiam sese
penetrat humor, illas laxet potius quàm distendat.

X X V.

Missi ergo fluunt à partibus nativo suo vigore constanti-
bus, sed alienorum interim vel copia gravatis, vel molesta
qualitate lacestitis, de quibus sunt præter corporis habitum,
caput in primis, Epar, ventriculus, Lien, renes, intestina, ut-
rus,

X X V I.

A quibus quidem partibus viæ nunc manifestæ ad articu-
los patent, quæ sunt spinalis medulla, nervi, venæ, arteriæ,
& quod inter carnem & cutem intervenit spacium medium,
nunc occultæ latent eadem, naturæ tantum consciæ, sed qua-
rum tamen ipsa expressa sæpe documenta in critica Arthriti-
de exhibere consuevit.

X X V I I.

Transmissi à fortioribus humores, ut promptè admittan-
tur, partium suscipientium requiritur imbecillitas, quam in
raritate, laxitate & humiditate considerat ex Galeno Avicen-
nas.

X X V I I I.

Imbecillitas hæc si nativa sit, genuino cursu in poste-
ros cum

ros cum semine propagatur, cuius iure hæreditario Podageri generantur Podageris; hinc rectè Plutarchus Podagerorum filios statim curandos voluit, non quod ægrotent ipsi, sed ut ne hoc fiat: eadem sæpius ascititia est, qualitatis alicuius excessu, aut antegresso ictu percussive acquisita.

X X I X.

Harum ergo causarum vis ea & ratio est, ut concursu iunctæ, Podagræ generationem necessariò procurent, separata non item.

X X X.

Pueri enim Podagra non laborant, quantumvis imbecilles ab ortu articulos nacti, nec humoribus diffuentia corpora huic obnoxia, in articulorum robore & firmitate; imò nec qui olim Podagræ, nunc à dolore per longum tempus cum articulorum debilitate deserti, in excrementorum corporis vacuitate: testis est Podager ille qui olympiæ cursu vicit. Aretæus *lib. 2. c. 12. de arthrid.*

X X X I.

Ad internas autem causas, etiam temperatura pertinet, humidior præsertim: tum sexus & ætas, quæ sit triginta quinque annis major.

X X X I I.

Podagerorum feracissimus est aër crassus, & inprimis nebulosus: cuiusmodi Africa, Caria & Alexandria regionibus perhibetur esse ἐνδραμὸς & vernaculus.

X X X I I I.

Aëris mutationes ad utraque Aequinoctia maximè præfentiunt ægrotantes, minimè ad solstitium: unde ex pedibus vates pluviarum sunt, & tempestatum nequaquam vani Podageri: & astrologas sibi manus datas per jocum Pontifex ille dicebat, tumore in manibus vicinum æquinoctium præsignificante.

Hinc

XXXIV.

Hinc crapulae studium, unde cruditas, vini meracioribus, jejuno praesertim ventriculo & ante pastum hausti, vel in hoc eiusdem nive aut glacie refrigerati intemperantia; libido venerea, praesertim a repletionem, infinitam genuere podagerorum multitudinem: inde Veneris Bachiq; proles, egregia certe, Podagra jure merito Poetae credita est.

XXXV.

Cuius farinae habentur, somnus meridianus, vigiliae multae, labor immodicus, statio diuturna, vehemens & concitator deambulatio, solitae exercitationis desertio repentina, sudoris retentio, solemnum item evacuationum suppressio, ulceris humidi & chronici consolidatio, morbi acuti & diuturni, ira, cura, moeror, & quaecunque alia pravos ingenerare succos corpori valent, & mollibus atq; insuetis nervis inferre quassationem aut dolorem; de quibus sunt rei durae obviatio, casus, crepidae, calceamenta, ocreae adstrictiores; aut articulos etiam nimium laxare, quod pedum ex aqua calida dulci lotio frequens ante somnum praesertim efficere solet.

XXXVI.

Innotescit autem universim affecta sedes ex propria aegrotantis indicatione qui de dolore partis tensivae, motuque difficili conqueritur.

XXXVII.

~~Incipientis vero mali suae notae sunt: Nam in pedum articulis molestus quidam torpor percipitur, quem $\nu\epsilon\lambda\lambda\iota\sigma\mu\acute{o}\nu$ Plutarchus ex Strabone, id est, Podagrae balbutiem ac ceu rudimentum quoddam mox sese majore & manifesto cruciatu exerturae Podagrae nominat: perinde ut in pueris balbuties vocis est obscura & imperfecta, sed deinceps cum aetate in articulationem explanandae absolvendaq; primum tyrocinium.~~

B

Torporis

XXXVIII.

Torporis molestiam hanc sequitur articuloꝝ inflexio difficilis, & extensio: color patientium atque sanarum partium similis videtur, nullo emergente tumore.

XXXIX.

Dehinc extollente se passione, inflatio fit cum dolore manifesto, qui nunc alterum duntaxat pedem, nunc utrumque cum punctiōibus excruciat. is sæpius à maiore digito, non etiam nunquam à vestigio seu plantæ cavitate, aliquando calcanei extremo, vel circa malleolos primum perceptibilis, à quo vehemens ad parvum motum labor & quiescēdi dulcedo.

XI.

Vbi malum confirmatum fuerit, dolor & calor articulos tumentes detinet cum deambulandi impotentia: in laborantibus articulis ex humore purulento vel mucilento & viscido tophi seu callosæ concretiones gignuntur, contumacissima lapidis duritie foràs eminentes, quos $\tau\acute{\omega}\nu\sigma\epsilon\varsigma$ græci dicunt, transitus. Aurelianus vertit: ab his articuloꝝ solutio, quam sequitur ipsoꝝ pedis digitoꝝ perversio, qui nigriores facti in obliquum contorquentur, aut reflexi supinantur, sæpè vicinis affixi incumbunt, cum crurum partis dolentis languore, & cessante nutrimento eorundem attenuatione & consumptione.

XLI.

Sanguineam Podagram arguunt plethora, tumor cum rubore elatus & ingens cum venarum, tum maximè partis affectæ, cibi $\epsilon\nu\chi\upsilon\mu\acute{o}\iota\tau\epsilon\ \kappa\acute{\iota}\ \epsilon\nu\pi\epsilon\pi\tau\omicron\iota$, juvenus, anni tempus vernum, dolor pulsatilis continenter affligens, sanguinis consueta euacuatio suppressa, urina fulva & consistentiæ mediocris; iuvamentum à frigidis, à calidis noxa.

Biliofam

XLII.

Biliosam, dolor acerbior multò, calor intensior cum ulceris sensu, tumor minor flavus aut sub pallidus, sæpè cum rigore accessions initio, & febrili calore in statu eiusdem, fistis immensa, antegressa victus ratio calfaciens & desiccans, ætas, virilis ætas, exacerbatio tertiana, urina subfulva acris & subulis, frigidis maximè iuvantur, læduntur calidis.

XLIII.

Pituitosum defluxum notant, tumor frigidus sublaxus & œdematosus, cutis color parum à naturali recedens, magis tamen albicans, victus ratio, temperamentum, ætas frigida & humida, periodus quotidiana, urina tenuis & aquosa, iuvantia calida, nocentia frigida: à salsa pituita pruritus detegit ingens, qui partes laborantes acriter infestat.

XLIV.

Ab atro humore Podagra rarissima: Eam tamen præter nigrorem cutis ostendunt, dolor gravis & profundus, tumor exiguus cum duritie, corpus frigidum & siccum, autumnus, ætas inclinans, victus atrabilarius, cura, mœror; urina tenuis & cruda, cum quartana exacerbatione.

XLV.

Humorum missionem signorum miscella declarat: superantium autem humorum notæ magis conspicuæ.

XLVI.

Porro non earum modò partium, quarum robore humorum abundantia fluxione præcipitatur, sed quarum languore & imbecillitate aliunde eructata materia promptè suscipitur, notæ sunt cognitu imprimis necessariæ.

X L V I I .

Non enim ab uno saltem fonte scaturit causa podagræ, sed nunc ex universo corporis habitu; quem aperiant febres præcedentes, καχεξία & alia totius signa.

X L V I I I .

Modò à capite defluit humor; & illius tunc gravitas percipitur cum somno longo & profundo, destillationes à naribus & pectore aversæ cessant; & in ipso capite foris tumores sæpè oedematosi paulatim subsidentes evanescent.

X L I X .

A ventriculo si fluxio fiat, vomitus supprimitur; ab utero, menses deficient; ab ani venis, hæmorrhoides restringuntur; ab intestinis, colica præsertim, colicus dolor præcessit, perinde ut lumborum & venarum, si ab his regionibus humorum sit factus decursus.

L .

De partibus suscipientibus primùm ligamenta sunt. In his ergò redundantem fluxionem monstrat tumor valdè evidens & foris conspicuus; dolor in superficie vel ad blandissimum contactum ingravescens; luxatio articulorum ex laxatione levis, quæ non multo negotio restitui possit.

L I .

Humorem sub membranis ossa integentibus receptum detegit obscurus dolor, φαντασία exhibens ipsorum ossium dolentiam, nullo forinsecus tumore apparente.

L I I .

Disparet idem ac ne vix quidè perceptibilis, dum cavitates articulorum humor explet; dolor profundus, qui compressione non insurgit, motus perquam difficilis, propter luxationem vehementem, quam nulla ars corrigat.

DE

DE PROGNOSE ET PRÆSER-
VATIONE PODAGRAE.

M. PAVLVS REINHOLDT.

LIII.

Podagra etsi omnibus circa articulos morbis violentior sit, & maximè diuturnus molestus, & agrè cedens morbus, minimè tamen per se lethalis. *lib. de Aff. 1. 32. Et 6. tuenda san. c. 7.*

LIV.

Haud facilè continua Podagra gignitur Aretæo 2. diut. c. 12. neque omnis incurabilis credenda, quippe quoniam & spontè desinit, & in pluribus cura. *Plin. 26. c. 10.*

LV.

Eunuchi podagrâ non laborant nisi in victu deliquerint; nec pueri ante veneris usum; nec mulieres, nisi menstrua defecerint. *6. Aph. 28 29. 30. Com.*

LVI.

~~Tot foeminas tamen hodie podagricas inveniri non miratur Seneca, quando non naturam illæ, sed vitam mutarint, & viros mero ac libidine provocantes istorum licentiam æquarint; quibus idcirco malè precatur, quod maximum Medicorum, & naturæ peritissimum Hippocratem, mentiri fecerint; cum neque falsum quicquam unquam is dixerit, nec quod fieri non possit ullibi tradiderit, de totius antiquitatis auctoritate; & Gal. testimonio 3. *thes. 2.*~~

LVII.

Iuvenibus autem non minus quam senibus esse familiaris articularis dolor consuevit; etsi his ferè magis. *l. de aff. 1. 31. & 2. prædict. aph. 15. & 2 Aph. 39. & 3. aph. 31.*

B 3

Iuvenes

L VIII.

Invenes tamen, quibus circa articulos nondum topha-
cei calli concreti sunt, & vitæ accuratior ratio observatur,
tum qui laboris amantes sunt, & ad obediendum faciles, de
prudentis Medici consilio sanitati restitui possunt.

L IX.

Senes autem, & qui circa articulos jam callos tophace-
 os concretos habent; aut ærumnosè vivunt in alvi siccitate;
 hi omnes humana arte sanari nō possūt. *Hipp. iudicio 2. prædict.*
aph. 15. de quibus verus est Poëtæ versus; Tollere nodosam
 nescit medicina Podagram.

L X.

Podagram dysenterix supervenientes, optimè sanant.
2. 2. præd. aph. 15.

L XI.

Quicunq̃ue morbi podagrifici fiunt, hi, sedata in quadra-
 ginta diebus inflammatione, finiuntur: qui verò per hoc
 tempus non cessant, difficilem admodum curationem ha-
 bent. *ibid. & 6. Aph. 49. de aff. 1. 32.* perindè ut ex pituita viscida,
 melancholia, & humoribus mistis difficulter curatur.

L XII.

Dolores Podagrifici Vere & Autumno ferè moventur.
aph. 20. & 6. aph. 55.

L XIII.

Sapè hi sunt periodici ex partium situ; periodos autem
 nunc breves habent, nunc item longiores; non rarò ad mor-
 tem usque homines comitantur. *6. tuend. san. 7. 2. aph. 40.*
Com.

L XIV.

Qua de causa, ne, quòd facere plerunq̃ue solet, poda-
gra quasi postliminiò ad pristinam sedè revertatur,

&

& medendi methodum in Præservationem, & præsentis Paroxysmi curationem nunc dividemus.

LXV.

Præservatio causæ seu materiæ generationem prohibet, quòd fit dum pars mandans rectè coquit; suscipiens robusta ipsius superflua non admittit, & inter has, viæ sint adstrictæ & addensatæ.

LXVI.

Quæ quidem sic omnia ritè fiunt, si viscera suæ naturæ se modo habeant, & in vitæ ratione nihil peccetur.

LXVII.

Rarò autem in podagra benè viscera valent; & à doloribus semel vindicati, dum omnis se recidivæ metu defunctos arbitrantur, genio liberalius iam suo indulgere incipiunt, ignari quod sanos ægotantes fingendo dolor promittat, qui redux admissi postmodum in victu erroris eos admonet.

LXVIII.

Ex novo ergo delicto, residua materia, ne collecta novos dolores gignat, evacuari postulat; intemperies verò partis mandantis corrigenda, & errores externi qui coctionem labefactant removendi; tum viæ laxitas adstringenda, ipsaque recipiens pars roboranda,

LXIX.

Cui intentioni maximè inservit victus ratio accurata, pro causarum varietate & ipsa mutabilis, nervus certè omnis constantis à podagræ recidivæ præservationis.

LXX.

In materia autem calida aër sit temperatus; in frigida, idè calidus & siccus; crassus & nebulosus infensissimus; In cibo parsimo-

parsimonia utilis, quæ multo ex crapula podageros cum ad pauperiem iam redacti frugalius viverent, tandem perfectè sanasse legitur: Vniversim autem is sit causæ proportionatus.

LXXI.

Vino interdicator: quod si consuetudini est aliquid dandum, sit paucum illud, & ὀλιγοφόρον. Huius loco exhibentur, aqua mulsa, aut pro causæ conditione, aqua hordei, aut communis fontana decoctionis rad. glycyrrhizæ, sem. Coriandri, Anisi; item Cinnamoni, & similia

LXXII.

Somni & vigiliarum vices sint ordinatæ; exercitium moderatum, jejuno præsertim stomacho, naturæ est maximè consentaneum. Nimia siquidem deambulatio ad podagram pedes disponit, perindè ut nimium otium, quod de bobus & equis gregalibus eidem malo obnoxijis planum fecit Philosophus. 8. H. A. cap. 23. & 24.

LXXIII.

Fricationes capitis, superiorumque partium matutinæ, superfluitates absumunt ad fluxum pronas & promptas. Sit balneorum & veneris usus rarissimus; Alvus quotidie suum officium agnoscat; ipsa denique mens hilaris, & curis soluta.

LXXIV.

Corpus in anno bis evacuandum, Vere & Autumno, & in plethora quidem sanguinis missione; in aliorum autem humorum abundantia, purgatione.

LXXV.

Ipsi venæ sectioni præmittatur clyster, vel leniente medicamento prima corporis regio exhauriatur; Et in Vere quidem brachij dextri, Autumno sinistri vena media secanda, & sanguis bis terve, pro virium ratione auferendus, quomodo

modo compertum est, multos se à torminibus pedum in totum vindicasse.

LXXVI.

A sanguinis evacuatione humores superflui, qui plerunq̄ue pituitosi sunt, præparari debent, & purgatione exhauriri.

LXXVII.

Pituitam præparant, Stœchas, Iva, Betonica, Calamentum, Hyssopus, Cichorium, aut horum salia; Syrupi de Iva, Oxymel, simpl. & compos. mel rosatum, anthosatum.

LXXVIII.

Bilem, capillus veneris, acetosa, endivia; Sem. Com. frig. Syrupi Viol. Acetosæ, & endiv. simplex. Melancholiam, fumaria, borrago, buglossum, cœterach, cuscuta: Syrupi de pomis, de suc. buglos. borrag. &c.

LXXIX.

In miscella humorum; quod ferè plerunq̄ue fit, de Rhasis sententia, præparantia quoq̄ue, in debita proportione misceri debent.

LXXX.

Purgatio vomitione fit aut deiectione. Vomitus conuenit ab ingestione cibi, si illi præsertim assueverit, nisi caput ægrotet, cum thoracis angustia, sitq̄; ventriculi ostium sensibile cum humoris acrimonia mordace: Si is spontè non procedat, arte procurandus.

LXXXI.

In cessatione huius, per alvum educantur humores medicamentis mitioribus; Pituita; Agarico, Diacatholico, Diaphænicone: Bilis flava; infuso aut extracto Rhabarbari, pil. d. Rhab. El. rosato Mes. El. de suc. rosarum: Ater humor, El. Confect. Hamech, Pil. Coch. cum helleboro, pil. d. lap. Lazuli.

C

Toto

LXXXI I.

Toto autem purgationis tempore, naturæ humoris attentum esse Medicum decet; In illius enim crassitie suspecta sunt scammoncata, quibus tenuiores partes educuntur, relictis intus crassioribus, quæ tempore viscidiores redduntur, & contumaciores.

LXXXI II.

Sed nec una sufficit peccantium humorum evacuatio, quæ sæpius iteranda, ad illorum in distantissimis locis abstru-
forum evulsionem, & plenam consumptionem.

LXXXIV.

Aureliano damnantur, quibus familiare erat annalia quædam medicamenta continuò anno bibenda propinare, de quibus erat Diascordium, & Diacentaurium. Horum enim iugi potatione multi in celeres & acutas passiones venisse veteribus memorantur, & alios apoplecticos, alios Pleuriticos, alios peripneumonicos interiisse; quosdam etiam spirandi difficultate affectos.

LXXXV.

A purgatione mandantibus partibus prospiciendum. Caput ergo purgetur errhinis & masticatorijs: mox alteretur & discutiatur lotionibus, aquarum stillicidijs, quas $\epsilon\mu\beta\epsilon\sigma\chi\alpha\varsigma$ dicunt, ex rebus ipsi causæ appropriatis; ad quem usum facit etiam decoctum Guaiaci; sacculi item alterantes; Confectiones magnæ, ut Theriaca, Mithridatium, &c.

LXXXVI.

Ventriculo, qui intemperie frigida, plerunquæ, & humida laborat, foris conferunt cerata, unctiones, aquæ therma-

thermales, quæ calefaciendi & desiccandi potestate præditæ sunt. Intro assumta eundem roborant confectiones Stomachicæ, & Guaiaci decoctum haustum.

LXXXVII.

De epate, liene, & alijs partibus transmittentibus idem iudicium.

LXXXVIII.

Materia, si quæ in pedum articulis restitat, vaporatio-
nibus, fotibus, unctiõibus discutienda, ac penitus exor-
benda est ante crurum roborationem. Quod de Asio lapide
Celsus & Plinius referunt, ut incertum, relinquimus.

LXXXIX.

Nunc tandem viæ, per quas humoribus decursus est, adstringendæ. Hinc lotiones crurum sunt aluminosæ; Emplastra ex bolo, sanguine draconis &c. parata. Crura sunt qui gypso inducant & incrustent; quibusdam tibialia confiunt ex canina pelle, proprietate sua quadam pedes præservantia: quos præterea exsiccando roborant, oleum sa-
litum, myrthinum cum alumine.

XC.

A proprietate etiam præter alia præservare creduntur
C. C. utum, ossa h. præparata; tendines & ligamenta bru-
torum præparata, quorum pulveres conservis Betonicæ, ro-
rismarini &c. in conditum, cum nonnullis alijs miscentur, quo-
rum plurima, imo infinita est apud Plin. & alios scripto-
res invenire, pleraque superstiosa, suæ tamen cuique expe-
rientiæ, semper salva ubique pietate, à nobis commissa.

C 2

De

DE CURATIONE PODAGRAE.

CONRADVS SCHATTENBERGIVS.

XCI.

Curatio præsentis paroxysmi, sedatione doloris, & morbi, à quo ille dependet, sublacione, absolvitur. Sed hunc scopum assequi medicus, nisi causæ & materiæ redundantis evacuatione, nequit.

XCII.

Materia enim fluens intercipienda priùs, & quæ in debilem partem exonerata est, seu tenuis illa fuerit, seu dura, emollita tamen, inde prorsus exhaurienda, ipsa quæ ad eò suscipiens pars adversus humorum præcipitem decursum munienda & confirmanda.

XCIII.

Dolor ergò, & is quidem vehemens, qui τὸ ἐπιγόντος ^{vegetis} rationem sibi vendicet, & secum maximi periculi metum apportet, posthabitâ curandi lege, protinùs sedandus est & mitigandus.

XCIV.

Cui quidem operæ dicata ἀνάστυα remedia sunt, quæ cum vehementiæ doloris, tum temporis, in quo administrantur ipsa, tum materiæ, ex qua constant, ratione, non parùm differre deprehendas.

XCV.

Quæ enim mitiora ex his sunt, remissiori dolori debentur; vehementem autem, & tantùm non intolerabilem dolorem τὰ νάρκωτικὰ & stupefacientia compescunt; sed quæ

cx

ex $\alpha\nu\alpha\iota\sigma\tau\eta\sigma\iota\alpha$, quam parti inducunt, anodyna sunt improprie appellata. XCVI.

De horum classe sunt aqua actu frigida largissime affusa, papaver, mandragora, hyoscyamus, praesertim vero Peruvianus, quem Nicotianam sic ab inventore vulgo audiunt.

XCVII.

Opii vim $\nu\alpha\rho\kappa\omega\tau\iota\kappa\eta\nu$ crocus corrigat, lac muliebre, oleum anethinum; cuius idcirco periculum in pedum articulis ceu partibus ignobilioribus, & a principibus maxime remotis minus est timendum.

XCVIII.

Sunt haec autem, perinde ut quae intro assumuntur, Philonium Rom: requies Nicolai, Pillulae de Cynoglossa, raro, & non nisi summa necessitate urgente, usurpanda: & quae foris imposita articulis sunt, ne molestia ex frigida intemperie ipsidem afferatur, permutari calidis emplastris de Aetij consilio debent, ut pars vicissim recreetur.

XCIX.

Secundum tempora autem, quae dolor, perinde alijs acutis, percurrit, anodyna variant, in principio frigida vel tepida administrata: Cuius indolis sunt pulpa panis, aqua & aceto repleta. ol. rosar. nymphææ, albumen ovi; succus citrulli, lactucæ; succus granatorum adstringentium, ol. cum vino, lac, praesertim muliebre, flos lactis, panis pulpa in vino austero madefacta.

C.

Associantur his in augmento moderatè discutientia, ol. Chamamel, aneth. laur. vitellus ovi; farina hordei, fabarum quorum est solummodo in statu usus tempestivus, perinde ut validè digerentium in declinatione, puta aloes, myrrhae, aristol. baccar. lauri, gentianæ & similia.

Stigotique in... C I.

Materiae seu causae doloris competunt, calidae quidem, anodyna frigida, & actu quidem talia. Frigida enim, etsi motus sui respectu, quo deorsum nutat, repellentibus egeat; qualitate tamen hic sua magis nervosas partes fatigat; quae idcirco ne in parte congelata figatur, tepefacientibus indiget.

CII.

Sed partis suscipientis respectu, anodyna stupefacientia sensum eius tollunt; diminuunt eundem nimia sua humiditate retudentia; aequalem reddunt temperate calida: de quorum numero sunt olea, pinguedines, succi; hinc quoque anodyna frigida calida & humida *Galeno s. de s. m. f. c. 19. 6. Epid. com. 2. t. 9.* quae sic respectu receptionis in organo seu partibus sentientibus dicuntur.

CIII.

Alia denique ratione iudicij in sensorio iudicante anodyna sunt, distrahentia dicta, quod facultatem sentientem ad sui cognitionem trahendo, alliciendoque eam consequenter ab obiecti dolorifici cognitione abductam, aliò avertant & distrahant.

CIV.

Sunt haec genere duplicia: simplex unum, obiectum nempe valde jucundum, picturae elegantes, cantilenae suaves, blandi cum amicis & jocosii de rebus gratis sermones; alterum cum dolore mistum, quod est anodynum injucundum; de quo est vehementior dolor minorem obscurans, & alij vehementes animi perturbationes, ira, terror panicus, subita consternatio.

CV.

Nunc igitur ad morbum, qui doloris causa creditur, accedere fuerit tempestivum. Curatur is, sublatâ, quae fecit illum,

illum, causâ ; quæ est humorum materia, id est, sanguis & humores alij in corpore superflui.

CVI.

Sanguis, venæ sectione exhauritur, ad virium ægrotantis modum ; ex vena quidem dextri cubiti, in pedis dextri latere, de Græcorum & Arabum communi sententia,

CVII.

Reliqui humores, ubi corporis saburra subducta fuerit, præparati, suis quique propriis remediis de corpore purgantur ; quibus de hîc nihil amplius quicquam dicendum. Quæcunque enim subsequenter morbum sanant, antecedentia prohibent, ut est ab Hipp. pronunciatum. 6. Epid. comm. 3. l. 40.

CVIII.

In classe purgantium à quibusdam Antimonium reponitur, in mucosa præsertim Podagra ; cuius, seu in infuso, seu pulvere ex sale eius præparato, usum si quis experiri voluerit, per nos utique licebit, si modò corpus sit sufficienter præhumectatum.

CIX.

A purgatione mox ipsius materiæ $\rho\omega\sigma\eta$, tum pars, unde manat & tendit ipsa, attendenda. Et de utraque quidem parte abundè fatis in Præservandi ratione. Nunc motus fluentis materiæ intercipiendus.

CX.

Ætius varicum extractione, earumq; incisione sanguinis jam ad pedes ruentis impetum sistit : à quo ex recentioribus quidam non dissentiunt, Galeni exemplo adducti, qui varicum prætumentium parte excisâ & obsignatâ, fluxionem ad oculos avertere docuit, 13. Vig. : cap. 22.

Quarum

CXI.

Quarum tamen excisionem, quia nutrimentum pedibus subtrahit, Avicennas reformidat. Satiùs ergo fuerit, ab hoc remedio abstinere, his præsertim delicatissimis seculi moribus; vel scarificatione plagis alè inductis sanguinis interceptionem sufficienter moliri.

CXII.

Repercutientium autem hîc major esse omninò necessitas & utilitas videtur, in Podagra præsertim & Chiragra plurimum commendata.

CXIII.

Horum materia ab anodynis refrigerantibus alia non est, nec absurdum fuerit unum simul auxilium dolorem delenire, & causam eius removendo eundem sanare.

CXIV.

Applicantur hæc actu frigida, in materiæ affluentis caliditate. Sed in seroso & pituitoso defluxu, actu calida sint oportet, ne jam tum frigidus per se humor congelatus in tophum concreseat.

CXV.

Si in maxima mittentium partium intemperie prædictis nihil proficiatur, ad ignem deveniendum est.

CXVI.

Et in capitis quidem imbecillitate, cuti perforatæ cervicis Seto impactus (sic cauterium à materia seu funiculo ex setico, id est; seta ductili & per vulnus versatili dicunt) fluxû ad inferiora intercipient.

In quem

CXVII.

In quem finem Fonticulus quoque, fontanellam vulgò audiunt, in crure dextro non inutiliter aperitur, dum ad sinistrum pedem humoris fiat decursus.

CXVIII.

Sapè à fluxu in membro suscipiente materiae pars relinquatur, quæ est discutientibus foris intus penitus exorbenda.

CXIX.

Hanc discutunt imposita, ol. anethinum, chamamel., rutaceum, lumbricorum, vulpinum : quibus valentiora, ol. irinum, de castoreo, de costo, de piperibus : quorum tamen usus neque in principio convenit, neque postmodum tutus, nisi succorum & pinguium ammissione calor ipsorum strenuè desiccans attemperetur.

CXX.

Parantur quoque fomenta ex discutientibus, salvia, origano, betonica, lavendula & similibus, cum vino generoso decocta, & cum spongia aut lana succida pedibus applicata.

CXXI.

Eandem vim pollicentur sacculi ex furfuribus, pul. ivæ, majoranæ, origani, sem : rutæ, fæniculi, piperis, & rad : pyrethri infarcti.

CXXII.

Ad frigidam intemperiem corrigendam, & humoris reliquias dissipandas quotidie devoratur Terebinthina cum pul : ivæ & oss. humanor. præp. in pillulas reformata.

CXXIII.

Bibitur etiam decoctum ligni Guaiaci cum iva, stæchade & similibus : oleo ligni sancti primas partes in epotanda humiditate articulorum tribuunt.

D

In ca-

NB

CXXIV.

In calida, farsæ parillæ decoctum paratur, cum iua aut simili, cui guaiaci portio aliqua inferbuerit ad flatulentiam eius discutiendam.

CXXV.

Insuper locum paulò suprà articuli nodum inurit Hipp. cum lino crudo. Aurelianus hîc suspecta habet cauteria, ceum magna vexatione, ut ipse loquitur, coniuncta, quod ex novo dolore affluxio nova sit pertimescenda.

CXXVI.

Vsu etiam venire non rarò solet, ut ex indurescente, quæ articulos obsidebat, materia, nodi ac topi concrescant. Quo tempore, etsi sanitatis recuperandæ exigua spes supersit; curationem tamen tentandam medici jubent, dum ex frigida partis intemperie tumores hi concreverint.

CXXVII.

Quos enim in gypseam soliditatem valdè deurens ac desiccans calor compegit, desperatos omninò habere oportet, qui non magis atque in fornace cocti assatiq̃ue lateres emolli liri unquam ab humoris affusione possint.

CXXVIII.

Tophis autem nunc emollientia, nunc valdè resiccantia vicissim adhibentur, de Galeni exemplo in scirrhusi tumoris curatione. 2. ad Glauconem, c. 4.

CXXIX.

Malagmata confiunt ex galbano, bdellio, ammoniaco, resina, terebinthina, & similibus, tumoribus imposita: aliquandiu ibidem detenta, removentur, & pars aceto acerrimo vaporatur; qui labor per vices continuandus.

CXXX.

Quidam emollientibus moderatè desiccantia iungere malunt. Vnde emplastrum ex caseo antiquissimo, cum nasturtio

sturtio

sturtio & iure pedis suilli saliti tophis impositum, cutem par-
tis disrumpit, ipsamque duriozem materiam minutim attri-
tam exhaurit. B

CXXXI.

Postremò, iam prorsus consopito dolore, ac tumore
discusso, pars debilitata quotidie est, manè & vesperi, per o-
mnem vitam, oleo salitofricanda de Aëtij consilio. Hocce-
nim modo debilis partis calor suscitatus augetur, quod p. n.
est, discutitur, excrementa consumuntur, & pars ipsa affecta
roboratur.

CXXXII.

Quâ ipsâ dote commendantur vinacea, ex vino albo,
generoso administrata, dum corporis temperamentum fri-
gidum fuerit atque humidum. Nam in calore cum laxitate ex
vino rubro oligophoro eadem præstat applicari.

CXXXIII.

An minori cum utilitate nitrum cum oleo myrtino ad-
hiberi possit? Sufficit.

SOLI DEO GLORIA.



III

Path. spec. 81^{hd}
=



Rep